

/ Pax Christi.

Dum sepius mecum animo volvo Cardinalis Illustrissime humani-
tatem et benevolentiam qua me licet externum et peregrinum amplex-
tebaris, rubore confundor, quod hactenus nullam animi significa-
5 tionem dederim. Sed est quod me deterruit, nam quis ego qui virum
tam illustrem meis incultis audeam interpellare? Itaque satius du-
xi tacitus apud Deum ter Opt.Max. pro felici successu Dominatio-
nis Vestrae Illustr. atque longeva salute praeces interponere: ma-
xime cum ab eo qui scrutatur corda et renes, de domo patris mei
10 carnalis sublatus ad hoc sim, et de tabernaculis peccatorum, atque
inspirarit mihi ut sequerer eum, cum generatione querentium faciem
eius, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia casti-
tatis, et cum illo discumbentium in caenaculo altissimae paupertatis.
Dabo igitur operam ut quoties sacra operaturus altari assis-
15 tam, nunquam tanta benevolentia memoria excidat. Unum etiam oro ut
quo me favore prosecutus est Dominatio V.Illust., cognatum nostrum
Zegerum Van Houttum S.T.L. atque adeo de monasterio nostro (cui
insignem operam in praelegenda theologia navavit) bene merito, ex-
cipiat, atque ut solet viros doctos foveat. Vale Cardinalis Illus-
20 trissime. Antverpiae ex monasterio nostro S.Michaelis IX novembris
1607.

Illustr. atque Reverend. Dominationis Vestrae

humillimus servus

f.franc. Schottus Ordinis Praemonst.Canon.

25 Reverendissimo atque Illust. Roberto Bellarmino S.R.E.Cardinali
presbitero, Domino suo colendissimo. (cachet)

Romam.